

AN. 248.

(X 204 54 79)

Koepfner



HEINRICUS DECIMUS
JUNIOR RUTHENUS,
Dominus à Plaviâ, Dominus in
Graitz/Grannichfeld/Gera/Schlaiz
& Lobenstein/xc.

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

vita
Stappneri *Theolog.*





143251

143251

HEINRICHS DECIMUS
JUNIOR RUTHENUS

Dominus a Pavia Dominus in
Geneve

RECTOR
ACADEMIAE PRINCEPS





um ignei spiritus

Propheta Elias flammantibusquadrigis in coelum evoluturus esset, non tantum Beth-El, sed & Jerichunte Prophetarum filii & sacris dediti gemebant, & Elisæum discipulum ejus qveribundâ voce inclamabant: Nostin' hodiè JEHOVAM assumpturum Dominum tuum de capite tuo? Ita Eliæ haectenus discipulo in memoriam revocabant gravissimam jacturam & damnum per discessum, Prophetæ futurum, utpote quòd de capite ipsius Doctor & Ductor incomparabilis, qui caput instar florentissimæ coronæ cinxerat & exornaverat, sit auferendus. Nihil aliud hodiè præfari possumus, dum Viri plurimum- Reverendi, Amplissimi, & Excellentissimi DN. HEINRICI HÖPFNERI, SS. Theologiae Doctoris & Professoris publici celeberrimi, Facultatis Theologicae & Nationis Misnicae Senioris gravissimi, Electoralis Consistorii Assessoris laudatissimi, Canonici & Thesaurarii in Misnensis Ecclesiae Capitulo spectatissimi, Stipendiatorum Electro-

A 2

ralium



ralium Ephori præclarissimi, Collegii Majoris Principum Collegiati, & Academiae hujus Decemviri solertissimi, Theologi de Ecclesiâ JESU CHRISTI & Academiae meritisimi, publicè intimandus est obitus, & justa ejus funebria sunt indicenda, quàm ut maximâ cum consternatione omnibus SS. Theologiae Cultoribus illud trutinandum proponamus: Nostis'ne JEHOVAM Dominum vestrum de capitibus vestris assumpsisse? Imò cum non tantùm Studiosos, sed & totum Orbem Christianum, Academiamq; nostram & alias, ut & gravissima Collegia hæc tangat calamitas, meritò insperati luctûs magnitudine attoniti quærimus: Nostis'ne Christiani universi, DEUM assumpsisse de capitibus vestris veritatis & doctrinae cœlestis vindicem & propugnatores imperterritum, Religionisquè Lutheranae splendorem unicum? Nostis'ne vos Academici, de capitibus vestris ablatum esse decus augustissimum? Nostis'ne vos Consistorii Electoralis Consiliarii, à vobis sublatum esse Assesorem gravissimum? Nostis'ne Capituli Misnensis Præsules, DEUM vobis eripuisse membrum & thesaurarium utilissimum? Nostis'ne Facultatis Theologicae Assesores, surreptum vobis esse Senatûs vestri Seniores & Palladium firmissimum? Et tu Collegium Principum majus, ac Paulinum nostin' te prius quidem Collegâ, posterius autem Decemvirò orbatum esse solertissimò? Eheu jactu-

jacturam nullis lacrumis, nulloq; planctu aut fletu eluendam! O damnum, ô detrimentum nullis suspiriis satis exprimendum! Ita eodem tempore, eadem ruinâ, clade parili tota Christianitas & communis res literaria in luctum gravissimum conjicitur, & amittit Ecclesia & Academia communi suffragiô Theologum eruditione summum, ingeniô acutissimum, & judiciô propè divinum, unô verbô alterum Chemnitium, cui in hodiernâ omnium Academiarum clade, paucissimis exceptis, vix reperias similem, qui *Höpfneri* tamam & gloriam sustinere queat. Sed & porrô est, quod in hoc obitu singulariter expendendum. Cumulantur hoc tempore prodigia, nubes sulphureas dejiciunt pluvias, aquæ in suburbio præter naturam cruentum induunt habitum, dirorumq; eventuum experienciâ toties hætenus confirmatâ evadunt indices. Et eccè, his tanti Viri emigratio per se satis ominosa copulatur. Aves certè marinæ ex altô in terram provolantes certum surgentis tempestatis præbent indicium: Ita Viri magni ex tempestuosò mundi pelagô in cœlum avolantes graves adversitatum procellas minitantur. Vix *Petrus & Paulus* Apostoli profuderant extremæ vitæ spiritum, cum Jerosolymam oppugnatam, captam, cæsis ad internecionem Judæis, Romani à fundô subverterent. *Augustinum* Doctorem suum vix

A. 3

tristis

tristi funere sepeliérant Hippónenses Afri, & statim
ab illius exitu urbem Vandali deleverunt, Africam
Gensericus ferro flammisq; peragravit, Religionem
Arriana impietas diris ab orthodoxis sumtis suppli-
ciis extinxit, ut Possidonius in vitâ ejus recenset.
*Quamprimum Ambrosius, Chrysofomus, Hierony-
mus à mortalibus disceserunt corporibus, Euty-
ches, Nestorius, Pelagius foedisimis erroribus Or-
thodoxiam contaminârunt, Non opus est vete-
rum Ecclesiæ Doctorum exemplis, ipsa experientia
loquitur, quàm turbulenta tempestas vicinam ja-
ctaverit urbem & Academiam, ex quò tempore
Magnus illius Theologus inter vivos esse desiit, Quod
ergò fatum nos sit mansurum, ignoramus quidem,
postquam autem DEUS Academiae Atlantem ad
meliores avocavit, exhibitis insimul iræ non exi-
guis indiciis, nil læti aut prosperi nobis promittere
licet. Considerate hoc mortales, & pœnitentiam agi-
te, expendite hoc pii, & suspirate indies: O gladio Je-
hova, usquequò non es requieturus? Ingredere in va-
ginam tuam, quiesce & subsiste. Mitiga, ô DEUS
misericordissime, benè meritas pœnas, averrunca
omne scævum, & conserva reliquias populi tui; sana
scissuras, sana vulnera, quæ inflixisti nobis, & osten-
de iterum faciem tuam, faciem misericordiæ & salutis.*
Nunc ad Hôpfnerum nostrum non nisi cum ma-
ximis laudibus nominandum revertamur, quem
quò

quò acerbius lugemus ademptum, eò studiosius nomen ejus & virtutem ad seram posteritatem transmittere laboremus. Strictim itaque de vitæ ipsius laudatissimæ telâ tùm inchoatâ, tùm continuatâ, tandemq; egregiè pertextâ, adhuc quædam delibanda sunt. Nimirum *vita primam usuram Höpfnerus noster* in hâc urbe, fœcundissimâ felicium ingeniorum matre, hausit D. XXIX. Novembris Anno Messiano cIo. Io. XXCII. ab introductô Calendariô Gregorianô decantatô. *Pater* ipsi fuit cognominis Vir Reverendus, & non minus doctrinâ quàm pietate celebris *Dn. Henricus Höpfnerus*, Parochus in suburbiô ad D. Georgii vigilantissimus. Splenduit autem *stirps Höpfneria Arnstadii* in Thuringiâ, eò ante annos ducentos ex Weteraviâ Cattorum traducta, quæ postea in Electoratu hœc Saxonico & Comitatu Swartzburgico latissemè se diffudit. Ex eâq; præ aliis *Nicolaus Höpfnerus*, vir literatissimus, Abbas ad Annum cIo. Io. XXXIX. Cœnobii Homburgensis principali axioma coruscans emînuit, qui postea sub ortum lucis Evangelicæ fermento Papistico renunciavit, & D. Mauritio & Augusto Electoribus felicissimæ recordationis in multis arduis negotiis egregiam operam navavit, & genti suæ insignem splendorem conciliavit. *Matrem* autem sortitus est *Anastasia*, Domini *Friderici Einwagen* Ecclesiastæ
Gera-

Gerani Variscorum, veræ fidei Confessoris egregii,
& in persecutione Cryptô-Calvinianâ, in quâ in
exilium pellebatur, constantissimi filiam. Factum
enim est, prædicto Confessore Christi in exilio hic
Lipsiæ degente, & postea repentino contagio cum
conjugè & plerisque liberis ad meliores evocato, ut
Parens τῆς μακαρίτης proxenetâ & parario celeberrimo
Theologo Dn. D. SELNECCERO relictam ejus
suprà nominatam filiam in uxorem duceret, & ex eâ
nostrum piè denatum Doctorem susciperet. Vix au-
tem bimulus ὁ μακαρίτης patrem amittebat, sed à
DEO orphanorum susceptore altero Parente Dn.
M. Andreâ Schreiberi Pastore Iltenburgicò, cui Mater
nupserat, beabatur, & ab ipsò planè adfectu paternò
educabatur. Hic non ignarus ejus, quod Salomo
ait: Rectâ imbutus viâ puer, etiam cum senuerit, non
recedet ab eâ, nihil habuit prius aut antiquius, quàm
ut privignum honesto loco natum honestis tum
moribus, tum artibus imbui curaret. Quapropter
annum agentem sextum Delicium ablegavit, & in-
stitutioni Dn. *M. Johannis Stoia* Ludi ibidem Mode-
ratoris commendavit, ubi tyrocinia studiorum egit
ad annum duodecimum cum dimidiò. Hinc no-
mine & locò Honspergiæ familiæ in Illustrem ad
Albim ludum missus est, in quò M. Daniele Me-
nium Rectorem, & M. Michaëlem Rakelmannum
Con-Rectorem Præceptores nactus, tam felices in
studio-

Studiorum cursu progressus fecit, ut Anno ætatis
XIX. ab his Præceptoribus dignus habitus fuerit,
quem stipendio quodam ex tribus illis, quæ antehac
ipsi diribere solebant, tractatum in Academiam
Patriam remitterent. Hic statim in numerum Alu-
mnorum Electoralium cooptatus est, & sub studio-
rum directoribus dexterrimis *Dn. M. Johanne Nel-*
delio Organi & Ethicorum Professore P. & M. Christo-
phoro Hunnichio Alumnorum tum temporis Inspecto-
re, ut & M. Johanne Fridricbo Utriusque LL. & Hi-
storiarum Doctore Publico, Viro literarum bono nato,
& jamdudum immortalitatis albo donato, per qua-
driennium integrum solidiori Philosophiæ & publi-
cè & privatim operatus, inq; eâ minima, medioxu-
ma, maxima ita profecutus est, ut lauream utramq;
ceu publicum doctrinæ ornamentum reportaret.
Præmissis & substratis ita *Minervæ studiis, Theologiæ*
quoque meditatus est fastigium, ita quidem, ut dul-
ci quâdam *συζυγία* Musas cum Gratiis Spiritûs
Sancti quasi copularet. Ex unâ namque parte Col-
legia aperiebat ab Annô 1604. ad 1617. usque Philo-
sophica tum lectoria, in quibus totam *ἐγκυκλο-*
παιδείαν privatim docuit, & aliquoties enarravit,
tum disputatoria, quorum undecim absolvit, unâ
cum Oratoriô. Ex alterâ verò parte *Eusebiæ,* ad
quam vel tacitô instinctu, vel divinô quô-
dam afflatu propendebat, talem addicebat operam,
ut non in aditis tantum versari, sed in adyta ejus pe-
ne-

netrare sibi pulchrum duceret. Quapropter pu-
blicas prælectiones Theologorum Excellentissi-
morum *Dn. D. Zachariae Schilteri, Burchardi Har-*
barti, Cornelii Becceri, & Vincentii Schmuccii assidue
invisit, adjunctis Disputationum Theologicarum,
exercitiis, partim à Stipendiatis frequentatis, partim
in Collegiis privatis à Clarissimò *Licētiatò Mülman-*
nò adornatis. Atq; ut & aliarum Academiarum do-
cendi methodum, mores & instituta cognosceret,
exactâ periodò Stipendii Electoralis ad Jenensium
& Witebergensium Academiam excurrit. Hinc au-
tem rediens, Academicisq; porrò laboribus totus
insudans, effecit, ut inclyta *Facultas Philosophica*
Annò *clō. 1ō. CIX.* ipsum *Membrum suum &*
Asfessore constitueret. Comitata est hoc hono-
rum Academicorum initium *Professio Logicæ Ari-*
stoteleæ Anno *clō. 1ō. CXII.* Quantâ autem
fide & juventutis commodo per integrum quin-
quennium ei præfuerit, testantur duo in hanc artem
Commentarii jam olim typis evulgati. Porrò subse-
cuta est Anno *clō. 1ō. CXIII.* die *vii. Junii prima in*
Theologiâ Laureæ, quam unâ cū Tredecim Compe-
titoribus, impetratis à Serenissimò Electore nostrò
sumtibus ad Promotionē adeptus est. Posterò verò
Annò *stipendiatorum Ephoriam Philosophicam* obti-
nuit. Hinc mundo valedicente Svadâ illâ sacrâ, alte-
roq; veluti Chrysofomo *D. Georgio Weinrichio,*
Ecclesiæ Lipsiensium & vicinarum Superattendente,
quod

quod sub annum c̄l̄o. 1̄o. CXVII. contigit, deman-
data ipsi fuit *Professio IV. Theologica, unà cum Epho-
riâ Stipendiatorum ejusdem Facultatis*. Quam Spar-
tam, ut eò majori cum authoritate exornaret, eò-
dem Annò sesquimense post auspicia Professionis
prædictæ, Licentiæ, ut vocant, gradu in Theologiâ,
& iterum binis mensibus elapsis, in ipsò Jubilæo Lu-
theranò die VI. Novembris Doctorali dignitate or-
natus est. Quantò verò studiò & industriâ, laboreq;
Provincia commendatæ præfuerit, testantur *aurei
Commentarii in Michæam, in Habacucum, & Psalmo-
rum librum, ut & Tractatus de Cœnâ solidissimus bre-
vi σὺν τῷ Θεῷ lucem visurus, quibus animavit Ca-
thedram Publicam*. Eandem prætereà & Scriptis &
Exercitiis Theologicis aliis insigniter decoravit.
Nam scripta quod attinet, versatur in manibus o-
mnium *Saxonia Evangelica, contra quam ne hiscere
quidem ausi sunt hætenus Romanenses*. Habuit præ-
tereà eruditissimas *Disputationes de Apostasiâ Roma-
næ Ecclesiæ, de Ave Maria, de Quæstione: ubi fuerit Ec-
clesia ante Lutherum, de Satisfactionibus Papanis, In-
dulgentiis Pontificiis, Jejuniis, & imprimis de Justifi-
catione fidei contra Christophorum Meyerum, quarum
duodecim lucem adspexere, de Satisfactione Christi
contra Photinianos, de Nominibus DEI, de Omnipoten-
tiâ DEI, de Infinitate DEI, aliasquæ complures,
quæ cum omnibus sint notissimæ, pluribus commemora-
re supersedemus*. Collegia Theologica, quæ aperuit &

habuit varia, præterire non possumus. In his enim dis-
quisitionibus piis libros Symbolicos nostrarum Ec-
clesiarum declaravit; Chemnitii Locos, & Conci-
lium Tridentinum tribus vicibus disputando ad fi-
nem perduxit; Eiusdem librum de Personâ Christi,
& Repetitionem Chemnitianâ, nec non D. Meisne-
ri *Χριστολογία* discussit. Accedunt Loci Theologi-
ci, & in primis Locus de Scripturâ S. & DEO, quos
ipse eruditè concinnavit, & proposuit. Quatuor Ev-
angelistas privatim exposuit, omnes Apostolicas E-
pistolas, & ex his nonnullas alterâ, quasdam etiam
tertiâ vice disputando percurrit. D. Bergii scriptum
de Cœnâ Domini examinavit & refutavit. Bellar-
mini Controversias de Gratiâ primi hominis, de A-
missione gratiæ, & Statu peccati ventilavit, itemquè
dicta Scripturæ de Verbô DEI & Personâ Christi
summâ cum industriâ enucleavit. Maximè quoque
eminuit Doctoris nostri dexteritas & iudicium in
gravisimis consultationibus de Religionis quibus-
dam capitibus, aliisque bonum publicum attinenti-
bus negotiis institutis. Quâ de causâ non tantùm
Aulæ Serenissimæ meruit gratiam, sed & apud sum-
mos viros sibi conciliavit favorem & æstimationem
immortalem. Admirati sunt ipsum Philosophi &
Theologi in variis Academiis *Witebergensi, Rosta-
chiensi, Jenensi, & in primis Giesfensi & Marpurgensi.*
Imò summæ ejus industria & rara cognitionis The-
ologicæ soliditas ipsum ita commendavit *Altorfii-*

na & Marpurgensi Academiis, ut utraq; Professore
nostro expeteret Doctorem, illa quidem per Cla-
rissimum Theologum Noricum *Schröterum* An. 1616;
Hæc autem per famigeratissimum *D. Justum Feur-*
bornium An. 1627. Paucis etiam tangendæ sunt *Di-*
gnitates eminentes, quæ piè denato in Academiâ &
splendidissimis Collegiis obtigerunt. Inter Colle-
gas *Majoris Principum Collegii* locum obtinuit An-
no cl. Io. CIX. die xxix. Septembris. *Rectorales*
fascis Academiae non sine sui gloriâ tenuit Anno cl.
Io. CXXI. *Decanatum*, qui per Theologos in or-
bem ire solet, oðies gessit, semel autem Præcellen-
tissimi Theologi *D. Polycarpi Lyseri* vices, cum
Decanatum ejus mors inopina interrumperet, susti-
nuit. *Senior omnium votis audiit in Natione Misnicâ*
& Collegiò Principum Majori Anno cl. Io. CXXVIII.
In Collegiò autem *Theologicò* Anno cl. Io. CXXXIII.
In *Consistorium Ecclesiasticum* cooptatus est Anno
XXVIII. *Canonicus Cizensis* constitutus est Anno
XXIII; *Misnensis* autem electus est ab Universitate
Anno XXVIII. d. viii. Februarii, & paulò post in *Ca-*
pitulum receptus, posteroq; anno *Dignitate*, quæ *cu-*
stodia vel thesaurarii nomine venit, annuente *Serenis-*
simo Electore, condecoratus est. *Academiae tandem*
Decemvirum Annò & die eòdem ipsum proclama-
tum percepimus. Tacemus nunc alias ejus expedi-
tiones in Collegii Paulini Præsidatu, Anniversaria-
rum Scholarum Illustrum Visitatione, & similes. Ita

sibi Theologus optimus evenire cōmperit, quod de
se olim *Augustinus* protulit: *Elegeram abjectus esse*
in domo DEI. Non enim in convivio Domini mei supe-
riorem locum elegeram, sed potius inferiorem & abje-
ctum: Sed placuit illi dicere: Amice ascende superius.
Atque talis & tantus quā publica Höpfnerus noster
fuit, de *Pietate & privatā vitā* nunc paucis. *Vitam*
certè decurrit talem, ut in eā tanquam in *Timanthis*
quādā piēturā ornamenta egregia deprehendamus.
Splendet ibi *in DEUM Pietas, & in verā fidei*, cujus
fuit retinentissimus, confessione, usq; ad ultimum
vitæ spiritum *perseverantia*; ut & in tentationibus,
calamitatibus, tam publicis, quā privatis, cujus-
modi erant morbi varii, acutissimi calculi dolores,
charissimarum conjugum obitus, *maxima cum pati-*
entiā constantia. Fulget ibi erga proximum *charitas*,
siquidem illi salus proximi verè cordi erat. Lucet ibi
in officio fides, & assiduitas, quæ tanta fuit, ut illā vim
sibi atq; mortem propè acceleraverit. *Domesticum*
ejus statū si requiris, in conjugio vixit geminō. Prius
contraxit Anno cl. Io. CXX. d. xvi. Octobris cum
Virgine pietatis studiō, & virtutibus virgineo deco-
ri-convenientissimis commendatissima *Veronicā, Vi-*
ri integerrimi & priscae fidei Dn. Hieronymi Jordanis
Civis & Mercatoris in hac urbe, sobole unica, Cele-
berrimi Dn. D. Leonhardi Badehornii triū Electo-
rum Saxoniae Consiliarii, & in hac urbe Consulis ne-
pte, cum qua triennium cum dimidiō vixit suavis-
simè,

simé, & DEI benedictione genuit tres liberos melio-
ris sexûs, sed qui omnes, ut solstitiales herbæ, paulis-
per fuere, & tertius matris obitû vix paucis horis an-
tevertit. Hâc ipsâ orbatus Anno cl. lo. CXXIV. die
xxvii. Februarii, postquam in viduitatis decennialis
lectô perdurâisset, *matrimonium alterum* iniit Annô
cl. lo. CXXXIV. die xxviii. Januarii cum lectissimâ
foeminâ Mariâ, Dn. Gedeonis Hanemanni Senato-
ris Prudentissimi & Mercatoris Primarii relictâ vi-
duâ, quæ comem suam observâtiam, ingenium pla-
cidissimum, & conjugale promptitudinē per octen-
nium ita probavit nostro Seniori, ut Annô præteritô
die x. Decembris humanis exempta rebus acerbissi-
mò luctu totum funestaret. Atq; hæc vitæ, quam vi-
xit Höptnerus, summa est, *usq; dum ad fatale metam*
eam duxit ventriculi imbecillitas, & senilis marasmus,
qui annum integrû, & quod excurrit, variis sympto-
matibus Doctorem nostrum oppugnavit, sensimq;
incrementa majora, accedente in primis svavissimæ
suæ sociæ & Asnathæ, h. e. Curatricis morte, sumfit,
donec tandem in nervum erumperet, & paucas ante
septimanas debile corpus lecto planè affigeret. A ctu-
tûm DEI se arbitrio Vir pientissimus submiserat, &
ita sensa animi & cogitationes omnes composuerat,
quasi qui morti quotidiè iret obviam. Ubi itaq; vi-
rium defectû indies majorem persentiscebatur, quartô
ante obitû die Sacræ Synaxeos viaticô instruendum
se curabat, mundanis valedicebat, cœlum anhela-
bat.

26 7036

bat, beatam analyfin ardentissimè flagitabat, spem
& fiduciam omnem in Salvatorem suum, de cujus
merito Commentationes adhuc plusculas institue-
bat, collocabat, & instar militis in acie constitutus
mortem contemnebat, *illud Ambrosii*, quod in Vitâ
ipsius Paulinus recenset, suum faciens: *Mori non ti-
meo, quia bonum Dominum habeo*. Sic tandem inter
preces devotas proximò die Veneris, qui erat X. Ju-
nii, post quadrantem primum Horæ X. vespertinæ
auditum *Redemptori ac Creatori* traditus, & tam pla-
cidè extinctus est, ut qui supremis ejus adfuère, non
sine admiratione hoc intuiti, petierint ab eò exem-
plum moriendi, postquam annos LIX. cum dimi-
diò in terris exegisset. *Anima jam soluta corporis
compagne immiscuit se consuetudini cœlestium, ubi vi-
tam verè vitam inter cœlestes vivit, & ineffabili glo-
riâ, & inenarrabili gaudiorum voluptate aeternum po-
titur. O gaudium supra gaudium, extra quod non est
gaudium!* Reliquiæ verò & exuviæ illius postea
Hora III. pomeridiana in Templò Academicò
Paulinò funerabuntur. Vestrum est, Academici
Cives, quem in vitâ dilexistis, exeqviali officiò quo-
que prolixè prosequi, & Viri meritissimi funus no-
biscum decenter comitari. PP. die XIII. Junii An-
no recuperatæ gratiæ cIo. Io. CXXXII.

Typis GREGORII RICHENS.

1077

Ms. 248.

HEINRICH
JUNIOR
Dominus
Graiz/S

R
ACAD



Z6
7036

MUS
S,
us in
ais
SIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

